

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium r
cum fonte primo

Amice, contumelia uiri uxor inobediens, caue tibi.
Veritas que falli non potest ait de beato Daud:
inueni uirum secundum cor meum.
Hic tamen egregie precipitatus est
amore mulieris ab adulterio in homicidium.

Amice, Bersabee siluit in nullo malignata est;
nichilominus facta est
stimulus subuersionis uiro perfecto
et mortis aculeus innocenti marito.
Vtraque nocens erit que contendet eloquencia
ut Dalida Sampsonis et forma ut Bersabee.

Si ergo non es amplius secundum cor Domini
quam Daud, crede et tu precipitari potes.

Valerius in epistola ad Rufinum.

Amice, contumelia uiri est uxor inobediens; caue tibi.
Veritas que falli non potest ait de beato Daud
'Inueni uirum secundum cor meum'.
Hic tamen egregie precipitatus est
amore mulieris ab adulterio in homicidium,
ne umquam sola ueniant scandala.
Diues est enim omnis iniquitas societate plurima,
et quamcunque domum intrauerit,
suis tradidit inquinandam conuiciis.
Amice, Bersabee siluit, in nullo malignata est;
nichilominus tamen facta est
stimulus subuersionis uiro perfecto
et mortis aculeus marito innocenti.
Numquid innocens erit que contendet eloquencia,
ut Dalila Sampsonis, et forma, ut Bersabee,
cum huius sola pulcritudo sic triumphauerit et nolens?
Si non es amplius secundum cor Domini
quam Daud, crede quod et tu precipitari potes.

Gualterus Map, *Dissuasio Valerii ad Rufinum ne ducat uxorem* (M.R. James, C.N.L. Brooke, R.A.B. Mynors eds., p.292).